

8.45.30

*Idem AA. et CC. Hastio.*

Non ex eo, quod duplam qui a matre tua mancipium comparavit evictionis nomine stipulatus est, alienae rei scientia convincitur, nec opinio eius ex hoc laeditur, ut malae fidei emptor existimetur, aliis itaque hoc indiciis, si vis, probare debes.

*S. id. Dec. CC. cons.*

[a. 294]

8.45.31

*Idem AA. et CC. Agatho.*

Heredem fideiussoris rerum, pro quibus defunctus apud emptorem intercesserat pro venditore, factum eius cui successit ex sua persona dominium vindicare non impedit, scilicet evictionis causa durante actione.

*S. XVIII k. Ian. Nicomediae CC. cons.*

[a. 294]